

HARVARD
MEDICAL LIBRARY



IN THE
Francis A. Countway
Library of Medicine
BOSTON

29.


PETRI LUCHTMANS ORATIO INAUGURALIS DE ANATOMICIS SECULI XVIII. INCREMENTIS,

Publicè dicta.

Die XVII *Martii* CIƆ IƆ CCLX.

Quum Ordinariam Medicinæ, Anatomes & Chirurgiæ Professionem in Academiâ Trajectinâ auspicaretur.

Viro Eruditissimo
Alberto Verryst M.D.
Amico Honoratissimo
hanc Orationem mittit
Auctor.



TRAJECTI ad RHENUM
Ex Officina JOANNIS BROEDELET,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI. MDCCLX.

Ex Legato VERRIJST.



VIRIS

NOBILISSIMIS ATQUE AMPLISSIMIS,

INCLYTÆ CIVITATIS TRAJECTINÆ

CONSULIBUS

ET

SENATORIBUS,

ALMÆ HUJUS ACADEMIÆ

CURATORIBUS,

OMNIS DOCTRINÆ ET BONARUM

ARTIUM

FAUTORIBUS AC PATRONIS

ORATIONEM

HANC

VENERABUNDUS INSCRIBIT

PETRUS LUCHTMANS.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

http://www.archive.org/details/petriluchtmansor00luch

ORATIO INAUGURALIS

DE

ANATOMICIS SECULI XVIII. INCREMENTIS.

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI CIVITATIS TRAJECTINÆ CONSULES ET SENATORES, GENEROSISSIMI ACADEMIÆ CURATORES.

GRAVISSIMI SUPREMI TRIBUNALIS SENATORES, ÆQUISSIMI JUSTITIÆ VINDICES.

QUIQUE HIS COLLEGIIS A NEGOTIIS ET A TABULIS ESTIS, VIRI SPECTATISSIMI.

MAGNIFICE RECTOR.

DIVINARUM HUMANARUMQUE SCIENTIARUM PROFESSORES CELEBERRIMI, ERUDITISSIMI.

SACRORUM ORACULORUM INTERPRETES FIDELISSIMI, FACUNDISSIMI.

OMNIUM ARTIUM AC DISCIPLINARUM DOCTORES CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, SAGACISSIMI.

CIVES, HOSPITES, INCOLÆ, ADVENÆ, CUJUSCUNQUE ORDINIS LOCIQUE, AUDITORES EXOPTATISSIMI.

TU DENIQUE LECTISSIMA STUDIOSÆ JUVENTUTIS CONCIO, PATRIÆ SPES, PARENTUM AMOR, ACADEMIÆ DECUS, PRÆCEPTORUM CURA ET DELICIÆ.

Quo-


uotiescunque scientias, quæ vera humanæ gentis promovent stabiliuntque commoda, intento perpendamus animo, vix, ac ne vix quidem, ullam offendimus, quæ plura Divinæ offerat argumenta Existentiæ; quæ pleniora immensæ exhibeat specimina Potentiæ; quæ evidentiora inexhaustæ ferat indicia Sapientiæ; tum & altiora ineffabilis comperiat vestigia Benignitatis, quam quæ in penitiori Rerum Naturalium versatur indagatione: enimvero sive innumeram contemplemur multitudinem, sive incredibilem oculo subjiciamus varietatem; concinnum spectemus ordinem; mutuum, quo cohærescunt, consideremus nexum; pulcherrimam admirantes lustremus conformationem; stupendas scrutemur agendi virtutes, indeque redundantes aptissimos eruamus & colligamus usus; clarissimè humani ingenii mediocritatem sublimitate effugiens eminet solertia & sagacissima Providentia,

ut

ut cum Latiæ Parente Eloquentiæ concludamus, „ mente consilioque Divino omnia in hoc „ mundo ad salutem omnium conservationem- „ que admirabiliter administrari.

Verum in hunc patentissimum & lectissimis undique ornatum flosculis, pro lubitu exspatiari campum, nostri instituti ratio vetat, Vestrumque cuilibet, A. A. H. H. rem perspectam, mihi persuasum habeo, ut longa exemplorum serie illustrari ac corrobari nullo modo indigeat: unicum, ab officii ratione minus alienum, omnium adinstar sit exemplum, ab artificiosâ nimirum C. H. petitum machinâ, cujus si totam spectemus compagem; si mirum vivendi principium; si arctissimum, quo cum mente copulatur, connubium; incomprehensibilem Divinæ mentis agnoscimus potentiam atque sagacitatem: si vero singulas, ex quibus componitur C. H., percurramus partes, elegantissimam examinando structuram; subtilem perquirendo fabricam; mirum,

rum, quo ſibi reſpondent, contemplando conſenſum; multiplicia, quæ obeunda habent, perſcrutando munia & accommodatos evolvendo uſus, ſole meridiano clarius conſtat, quanta cura, quam inſigni benignitate adorandus Naturæ Auctor noſtris proſpexerit commodis & deliciis; imo quo altius in mirabilem C. H. fabricationem penetrare licet; quo pluribus Anatome in dies adaugetur obſervationibus atque inventis; quo magis improbo labore ſedulaque Naturæ contemplatione, opinionum commentis ſcientia expurgatur, eo numeroſiora in lucem prodeunt atque deteguntur ſpectacula, quibus in ſummam rapti admirationem, ad optimam & ſapientiſſimam Supremi Numinis providentiam prædicandum, ſponte ducimur.

Quandoquidem vetus conſuetudo eſt, a longis usque ducta temporibus, ut publice docendi munus auſpicaturus, demandatæ provinciæ convenientem, ſermonem habeat, hac hora, *de præci-*

puis, *quibus labente ſeculo locupletata fuit Anatome*, *inventis* dicere animum induxi; quod quidem argumenti genus, nec a loci dignitate, nec a tradita alienum exiſtimavi ſparta, aptisſimumque, quo generoſa Studioſæ Juventutis incitentur pectora, ut repetito labore & indefeſſa induſtria ad eandem, quam ſplendidiſſima hujus ævi attigere Lumina, immortalis gloriæ metam currant properentque. Inſignia itaque, quæ in anguſto temporis ſpatio Anatome cepit, incrementa leviori adumbraturus penicillo, Veſtram, A. A. H. H. flagito benevolentiam, quæ ſola me, tenuem ingenii modulum, curtamque doctrinæ ſolidioris ſuppellectilem perpendentem, atque in dicendi arte minime verſatum, & ne magnis excidam auſis, metuentem, erigere ac ſuſtentare valet: ut ergo benevolo, ut æquo adſitis animo; ut faciles benignasque, telam, quanta fieri poterit brevitate, pertexenti, præbeatis aures, etiam atque etiam rogo.

Si

Si in elegantissimam C. H. vel paulo propius introspiciamus machinam, mox ex variis contextam deprehendimus partibus, figura, constructione, omni denique habitu inter se longe diversissimis.

Illas inter primum inveniant locum Ossa, quæ reliquis subjecta partibus, duritie & stabilitate corpori firmamentum ac robur addunt; molliores fulciunt reconduntve partes; tum aptis commissuris & ad finiendos artes & ad motus & ad omnem egregie accommodata sunt corporis actionem: multiplex ergo ossium usus, atque ingens eorum diversitas facile monstrant, quanti machinæ humanæ fabricationem indagantis intersit, ut omnem ossium historiam rite sibi perspectam habeat; unde mirum non est, ab omni fere scientiæ ævo in hoc thema, ut reliquæ fundamentum doctrinæ, maxime incubuisse Anatomicos: ex vetustioribus testis sit Galenus: ex posterioribus testetur inprimis Vesalius, qui ut omnem a Galeni usque temporibus

neglectam instauravit Anatomen, ita summa arte nitidas, firmas atque eleganti doctaque oratione illustratas, sceleti imagines paravit & laudabilem præcipue in delineandis artuum ossibus industriam monstravit. Neque silentio premendæ sunt, quas a magni nominis Eustachio habemus, Ossium Tabulæ, quæ licet arte atque elegantia Vesalianis cedant, mira tamen facilique simplicitate sese commendant.

Interim utut rem bene gesserint memorati vel & subsequentes Anatomici, longe tamen abest, ut omnem exhauserint materiem: plurima ad nostrum relicta fuere seculum: ita ne ullus ossa, quæ ad caput formandum concurrunt, tanta diligentia investigavit, quanta Palfinus, qui non modo integram ossium capitis compagem, sed & singula, nexu soluta, optime circumscripta, pulchris figuris expressit.

In eadem arena desudavit subtilissimus Monrous, cui plenissimam ossium capitis expositio-

tionem debemus, quique reliquam ossium historiam variis, quæ ad conformationem, commissuras, membranas & per ætatem oriundas mutationes pertinent, observationibus adauxit.

Summam hac etiam in parte laudem meretur insigne Galliæ decus, Winslovus, qui non tantum præcipua, quæ in siccis considerari merentur ossibus, accuratius indagavit; sed & in elaboranda recentium historia, incredibilem collocavit operam atque utilem illam, sed nimis parce & jejune tractatam, doctrinam ingenti sedulitate excoluit, ac in describendis, quibus incrustantur ossa, cartilaginibus; quibus firmantur & integra sæpe mobilitate committuntur, ligamentis, solertissimam monstravit industriam omnibusque veteribus palmam facile præripuit.

De ligamentorum historia optime quoque meritus est dexterrimus Weitbrechtus, eodemque fere, quo Winslovus, tempore, in illa perpoliendа summam adhibuit diligentiam, cunctaque

C. H. ligamenta puro tersoque sermone descripsit, atque optimis, ad ipsa objecta adumbratis, simulacris egregie illustravit.

Maxima vero laude extollenda sunt, quæ in perficienda ossium historia præstitit Magnus, cuique parem nostra non tulit ætas, Albinus: doceat nervosa atque ex ipsis ossibus delineata descriptio & demonstratus singulorum usus: absolutissimæ confirment Ossium Tabulæ, quæ inimitabili arte adornatæ, mira elegantia & facilitate, tum integrum sceletum, tum omnia, ex quibus formatur, ossa sigillatim in conspectum ducunt & quos musculorum causa habent, processus, eminentias, sinus atque vestigia adamussim indicant, quæ & ubivis tam accurate Naturam exprimunt, ut Ipsi æmulæ, omnem hac in parte absolvant paginam. Neque hi labores suffecerunt consummatissimo Anatomico, sed ad difficiliora, ad altiora perrexit, quod facile persuadeant eximiæ, eæque stupendæ pulchritudinis, Ossium

Fœ-

Fœtus imagines, quæ mira ſubtilitate, cartilaginis, in oſſeam naturam vergentis, rationem exprimunt, quibus & ſubnexa obſervata obſcuro Naturæ in formandis oſſibus artificio ſplendidam lucem affundunt, omniaque ex gelati ſpecie ſenſim confirmata & in cartilaginem denſata, ſuum principium petere, demonſtrant: conſtat ergo, quanto a veritate intervallo olim aberrarit Haverſius, qui oſſa ex ſtratis membranaceis ſibi impoſitis ac vi arteriarum in oſſeam duritiem compactis, oriri ſtatuit: imo quamvis non ita diu Clar. Hamelius pluribus adſtruere ſuſceperit, oſſeum primordium callumque generatum Perioſtei tribuendum eſſe lamellis, innumera tamen illuſtris Halleri, (qui thema hoc ab ovo repetiit,) tum in fractis diverſorum animalium oſſibus, tum in pullis gallinaceis, non diu a primo incubatu ad excluſionem & ultra, in horas fere inſtituta experimenta evidenter monſtrant, non a Perioſteo, quod in initio tenuiſſimum &

a ſubjecto oſſis primordio longe diverſum eique laxe tantum cohærens, obſervavit, ſed a gelato derivandam eſſe oſſium originem.

Ex dictis ergo ſatis ſuperque liquet, quam inſignes, quam rapidos brevi temporis ſpatio oſſium doctrina progreſſus fecerit.

Ut jam in oſſibus, integra mobilitate commiſſis, accommodati fiant motus, Natura C. H. plurimis adornavit inſtrumentis, Musculis ſcilicet, qui, tantum non omnes oſſibus affixi, ſua contractione, innumeros eosque millenis variatos modis, in corpore producunt motus.

Horum ut intelligeretur actio, ejusque directio, examinanda erat fabrica & organica ſtructura.

De fabrica ſi conſulamus auctores, præter Leeuwenhoekium, plurimos inter, vix ullum invenimus, quin unice explicandæ intentus actioni, fabricam adſcribat, receptæ accommodatam hypo-

pothesi, parum sollicitus, quid ipsa monstret Natura: ea scilicet hominum generi vanitas est, ut nihil dari, quod expediri nequeat, sed omnia ingenio submitti, cuncta intelligi posse opinetur, ita infinite sapientis Dei opera quælibet pedibus subjecturum. Hinc non satis laudanda magni Albini cura, solertia & candor, quo ex ipso Naturæ fonte haustam tradidit musculosæ fabricæ historiam, simpliciorem fateor, sed quod primarium est, verissimam, qualem Natura sedulo sagacique monstravit Venatori; qualis, musculo variis explorato modis, hucusque humana industria erui potuit; ita nec cavæ, multo minus vesiculares apparent musculosæ fibræ, sed chordæ quasi vel & fasciæ carneæ, raræ, tendineis, densioribus continuatæ, subtili cellulosa sibi adnexæ: his equidem nervi, arteriæ venæque intertextæ esse, nequaquam vero in ipsas musculares abire observantur, veluti ad exponendam contractionem excogitarant Physilogi.

In organica musculorum structura perscrutanda, ab omni tempore Anatomici desudarunt: præivit Galenus; secuti fuere innumeri eamque identidem plurimis locupletarunt observationibus & inventis: nostro seculo musculorum numerum auxerunt Valsalva, Sanctorinus, Verheyenus, Morgagnus, Douglasius, subtilissimus dein Winslovus, cui concinnam musculorum descriptionem debemus, quique incredibilem impendit laborem, ut ex perspecta musculorum conformatione, situ nexuque, varios, cuilibet musculo competentes, erueret motus & quanam lege ad actionem compositam plures cooperentur.

Interim ad perficiendam musculorum historiam ne ullus Anatomicorum tanta contulit quanta illustris Albinus: id docet accuratissima ipsoque ex corpore cum judicio delineata & in concinnum facilemque ordinem digesta descriptio: id probant inimitabiles imagines, quæ musculorum syntaxin non modo, verum & sigillatim cujuslibet exor-

tum

tum, decursum, limites & insertionem ita clare & distincte exprimunt, acsi Natura ipsa pinxisset; testes sint, ut hoc solo utar exemplo, eximiæ & ad miraculum pulchræ Diaphragmatis icones, quæ reliquorum tabulis facile anteponendæ, veram miri hujus musculi conformationem, situmque naturalem, vel in ipso C. H. cognitu difficillimum, stupenda perspicuitate in plenissima luce collocant.

Proxime ad hydraulicam, quæ musculosa indole perpetuum sanguinei laticis circulum promovet, machinam transimus.

In exaranda Cordis historia, antehac minus accurate & non raro ex brutis descripta, qui nostro floruere seculo, Anatomici laudabilem posuere laborem. Vasorum, cordis substantiæ intertextorum subtilem divisionem exercitatissimus delineaverat Ruyschius: origines vero quibus ex aortæ principio, ultra valvulas, enascuntur cordis arteriæ, rite determinarunt principes nos-

træ ætatis Anatomici, Morgagnus, Albinus, Hallerus, qui præterea nervorum, cordis ſubſtantiam perreptantium, hiſtoriam pulcre emendavit.

Veri cordis ſitus & externæ conformationis deſcriptionem optime correxit ſolertiſſimus Winslovus.

Omnem porro cordis conſtructionem plurimis iisque egregiis obſervationibus illuſtrarunt Vieuſſenſus, Lancifius, Lieutaudus & nuperrime Senacus, qui pleniſſimam cordis expoſitionem exactis adumbravit ſimulacris.

Quantam vero in eruenda proxima contractionis cauſa adhibuerit diligentiam Hallerus, innumera, in vivis animalibus diſſectis inſtituta commonſtrent tentamina, quibus hanc, abſciſſis nervis ſuperſtitem, ab irritabili, ipſis fibris inſito & a ſanguine aliove ſtimulo excitato, principio repetendam eſſe, luce meridiana clarius conſtat.

Ut ſanguis ad omnes corporis pertingat partes,

tes, indeque redux, cordi reddatur, insignes ei inhærent canalium trunci, arteriosi, venosi.

Arterias ex pluribus, indole diversis constantes membranis, partim ex humanis, sed præparandi adminiculo mutatis, partim ex brutis descripserat Willisius; fabricam vero longe accuratius investigarunt Monrous & Albinus externamque tunicam, in aorta observatam, non ubivis obviam; internam longitudinalibus fibris destitutam esse, notaverunt.

Sanguinei canales, in suo per C. H. itinere, innumeros emittunt ramos: horum quidem insigniores olim delineaverant Anatomici, ast tantum non omnes, solo fere excepto Eustachio, demonstrarant corpori exemtos, de situ, nexuque, quorum nihilominus magna habenda ratio est, parum solliciti. Hanc scientiæ partem nostra ætate sedulo excoluit Winslovus, atque elaboratissimam vasorum, quæ totum corpus perreptant, historiam adornavit.

De Arteriis quoque optime meritus eſt Hallerus, qui utilisſimum hoc thema plurimum emendavit, & laudabili labore minores arteriarum ramos per omnes C. H. partes proſecutus, elegantiſſimis in ſitu expreſſit figuris.

Si vero ſubtiliſſimas ſpectemus vaſorum propagines, in his, præeunte indefeſſo Naturæ perſcrutatore Ruyſchio, tot tantaque præſtitere noſtro ævo Anatomici, ut propter arctos ſermonis terminos ſingula enumerare non liceat: abunde teſtantur omnes in genere C. H. partes, in quibus ſubtili artificio, dextraque manu impletis, pulcherrima ſpectacula ſeſe offerunt.

Præter canales, qui ſanguinem per omne corpus ducant, aliud inſuper reperitur vaſorum genus, a tenui contento liquido ejusque motu, Venarum Lymphaticarum nomine inſignitum. Has venas dudum Fallopio & Aſellio in hepate viſas fuiſſe, graphica deſcriptio perſuadet: iſtas poſthac in toto paſſim corpore, ad conglobatarum confi-

nia

nia glandularum & in omnibus medii infimique ventris visceribus observatas, valvulisque, lymphæ motum determinantibus, instructas esse, docuerunt Bartholinus, Rudbeckius, Ruyschius, Nuckius aliique: prima vero, ex qua lymphatici prosiliunt rivuli, scaturigo principes etiam Anatomicos diutissime torsit; cautiores candidioresque suam aperte fassi sunt ignorantiam; reliqui conjecturas, veritati magis minusve consentaneas proposuerunt. Gloriam detectæ horum vasorum originis meretur solertissimus Alex. Monrous, Magno Patre Filius dignissimus, cujus omnes in eo conveniunt experimentorum eventus, impletis arteriis venisque sanguineis, nunquam mercurium absque prægressâ in cellulosam effusione, in lymphaticas penetrare venas; hac vero facta, semper repleri: quæ quidem observatio, pluribus confirmata phænomenis, in C. H. obviis, indicat, quo modo ex cellulosâ substantia exortæ lymphaticæ, tenuiorem, in cavernulas effusum,

la-

laticem abſorbendo inſerviant: conſtat ergo obſcurum horum vaſorum exortum, qui integro ævo omnem Anatomicorum ſolertiam effugerat, noſtra demum ætate ex abditis Naturæ receſſibus in lucem fuiſſe protractum.

Ut liber ſanguinis procedat circulus, in pulmones nunc hauriendus, mox reddendus aër eſt: ut ergo reſpirationis intelligatur actus, pulmonum fabrica & qua continentur, cavitatis conſtructio, cognoſcenda erat.

Pulmonum fabricam quod attinet, hanc elapſo ſeculo Malpighius, inſigne illud Italiæ ornamentum, denſis eruerat tenebris, iſtamque ulterius evolverunt varii noſtri ætatis Anatomici. Oſſeam vero qua pulmones reconduntur, compagem accuratiſſime expoſuit & elegantiſſimis ſummoque judicio adornatis figuris expreſſit magnus Albinus.

Nec ita diu eſt, quod a Galeni temporibus ad no-

noſtram usque protractam ætatem litem, de aëre pleuræ & pulmonibus interſtite, diremtam vidimus, experimento, revera ſimpliciſſimo, quod ſubtilisſimi ex mente Lieberkuhni, Hallerus inſtituit, quo in vivo animali merſo ſi pleura vulneretur, ne minima quidem aëris bulla prodit, invicto ſane argumento, pleuræ, absque intermedio aëre, immediate contiguos eſſe pulmones.

Vidimus jam A. A. H. H., quid in thoracis viſceribus præſtitum ſit, tranſeamus ad abdomen.

Abdominis cavitas propria undique membrana, Peritonæo nuncupata, circumſcribitur. Hujus hiſtoriam, plerique olim nimis obiter tractarunt: iſtam vero noſtro demum ſeculo plurimis illuſtravit obſervatis dexterrimus Douglaſius & exercitata manu integrum peritonæi ſaccum de corpore eximens, ſumma cura ac diligentia omnes ejus limites, productiones, nexum, viſcerum contententorum ſitum & ligamenta, quorum ope cum peritonæo cohærent, inveſtigavit.

Laudabilem quoque in expolienda peritonæi

hiſtoria monſtravit induſtriam eximius Winſlovus, atque decantatam olim peritonæi duplicaturam, a celluloſa, qua vicinis jungitur, exortam demonſtravit.

Cavitatis, peritonæo terminatæ, magnam partem occupant Ventriculus atque Inteſtina.

De ſitu ventriculi, de modo, quo per pylorum recepta expellantur, maxime diſſenſere veteres: laudanda iterum memorati mox Winſlovi perſpicientia, qua ſitum ventriculi vacui, ab eodem diſtento, diverſum detexit, iſtumque, ubi impleri incipit, fundum anteriori obvertere abdominis parti, eaque ratione ſublata duodeni complicatione, ſponte ad evacuanda contenta diſponi, obſervavit.

In evolvenda cauſa mutationis, quam in ventriculo ingeſta ſubeunt, plurimum curæ & laboris impendit magnus Reaumurius, cujus laudatiſſima, mirumque ingenii acumen monſtrantia tentamina docent, in animalibus, quibus ventriculus membranaceus eſt & humano ſimilis, vix

no-

notandam a fibris ipſius muſcularibus fieri compresſionem, ſed omnem fere digeſtionem a ſolvente liquido, cui gaſtrici nomen eſt, eſſe derivandam.

Si jam communem ventriculi & inteſtinorum fabricam perluſtremus, hanc olim minus accurate traditam, indefeſſus Ruyſchius multum quidem emendaverat; elaboratiſſimam vero, ex inteſtinis tenuibus inprimis depromtam, deſcriptionem adornavit eximium quondam hujus Academiæ decus, Chriſt. Bernh. Albinus, in qua non tantum pulcrum nerveæ tunicæ, in celluſolam vertendæ, modum primus exposuit, ſed & ultiſſima ad alteram celluloſam, a Ruyſchio tunicam inter externam & muſcularem poſitam; ad fibras muſcularis membranæ longitudinales; ad reſpondentem arteriarum venarumque decurſum; ad valvularum conformationem, ad villos pertinentia edidit obſervata, quæ a Viri Clariſſimi Fratre, Bernhardo Siegfriedo,

optimis postea illustratæ imaginibus, intestinorum & ventriculi fabricæ plenissimam lucem addiderunt.

Neque silentio premenda, quam in perquirenda villorum fabrica eximius Lieberkuhnius adhibuit, laudabilis cura, qua in ipsis villis, non modo arteriolas venulasque, sed & tenuissimos lacteorum ramulos, eosque valvulis instructos, armato oculo detexit.

Plurimas inter, quæ in intestinis reperiuntur, valvulas, notissima est, quæ ad Coli principium posita, crasso contentis regressum in tenuia negat.

De valvulæ hujus fabrica & constructione in plures abitum est sententias; reliquas tacite prætereunti, notasse sufficit, nostro seculo valvulam hanc negatam fuisse Biancho, sphincterem substituenti: præsentem vero vindicarunt Heisterus & Morgagnus, qui habenas & muscularem marginem adscripsit: diversarum opinionum originem, a nimia partis mundatione, vel ab exsicca-

tio-

tione derivandam, ſubtiliſſimus monuit Albinus, ac veram valvulæ fabricam pleniſſime expoſuit uſumque experimentis demonſtravit.

Inteſtinorum parti proxime accumbit Omentum, cujus conſtructionem olim parum cognoverant Anatomici: invento vero faciliori demonſtrandi modo ac detecta, per quam inflari poſſet, apertura pulcre omenti hiſtoriam emendavit Winſlovus, eaque ratione omenti minoris, quod ventriculo hepatique intercedit, naturalem conformationem accuratiſſime deſcripſit: majoris vero omenti portionem, a meſocolo exortam, optime diſtinxit & elegantiſſimis figuris illuſtravit Hallerus.

Utrique ſecernendæ bili inſervit magnæ molis Hepar, cujus conſtructio, noſtra ætate multis, quæ ad eminentias, ad ſinus, ad ligamenta, felleamque veſiculam ſpectant, obſervationibus locupletata fuit præprimis a Morgagno & Winſlovo, cujus licet minus diffuſa, accurata tamen, deſcriptio cæteris

 omnibus

omnibus præferri meretur.

Occurrit & in abdomine Lien, cujus diversum, pro inani vel diſtento ventriculo, ſitum, & qua ſuſtentatur, capſulam, a meſocolo enatam, primus delineavit Hallerus.

Tandem ventriculo ſubjacet Pancreas, in cujus examine ſolitam Winſlovus monſtravit induſtriam; in deſcendente enim juxta duodenum pancreatis proceſſu, quem magnus Euſtachius quondam indicaverat, ſingularem obſervavit ductum excretorium, Virſungiano ſimilem, iſtumque vel huic inſertum, vel ſeorſim in duodenum hiantem, vidit.

Conſcendamus jam Palladis arcem; perquiramus, quænam in illa noſtra detexerit ætas.

Duplex Cerebri natura eſt, altera corticalis, medullaris altera: corticem ex glandulis conſtare, multis argumentis collegerat Malpighius; artificioſa vero impletione vaſculoſam ejus indolem dexter-

terrimus invenerat Ruyſchius, atque laudabilem ſane hac in parte navavit operam.

Mirum vero artificium, quo in formandis ſinuoſis cerebri flexibus & in commodo tutoque vaſorum per piam matrem decurſu, uſa fuit Natura, multo ſubtilius inveſtigavit omni laude major Albinus.

Majores quoque, quæ ad omnem cerebri molem pertingunt, arterias ſingulari induſtria proſecutus eſt Hallerus aptaque præcipuis ramis, facilioris intellectus ergo, nomina appoſuit.

Omnem etiam cerebri hiſtoriam ubique perpolivit Winſlovus, ut & Morgagnus, qui egregia, quæ ad nervorum capitis origines, ad ſinus duræ matris & communicandi modum, quæ & ad glandulam pituitariam ejusque appendicem pertinent, obſervata prodidit.

Ex magno oſſei, quo cerebrum reconditur, receptaculi foramine Spinalis Medulla exit, cujus ſitum, veramque conformationem, ut & nervorum

rum ſpinalium exortum, plurimum illuſtravit Huberus: arterias vero, quæ per omnem medullæ ſuperficiem prorepunt, egregiis ſimulacris delineavit Hallerus.

In primo Spinalium Nervorum pare perſcrutando, laudabilem operam collocavit Aſchius ejusque duplicem ex ſpinali medulla originem & cum acceſſorio dicto nervo nexum, ganglium, ſubtilemque ramorum in cervice diſtributionem omni ſedulitate indagavit eximiisque figuris illuſtravit.

Omnes nervi, ex oblongata & ſpinali medulla exorti, vel motui famulantur vel ſenſui: nimirum in rem erat, ut C. H. in omnem mobile foret flexum, formamque: requirebatur interni ſenſus dolorisque perceptio: millena inſuper, quibus omni ex parte parte cingimur, cognoſcenda erant corpora; optima idcirco & benigna Natura, præter plurimos nervos, motui atque interno ſenſui deſtinatos, nonnullos in idoneis diſpoſuit organis, quibus

certa

certa lege admota corpora, diverſiſſimas in mente excitare valent ideas.

Externos ſenſus inter, primus Tactus eſt, cujus ſenſatio per omnem quidem cutim diffuſa, in digitorum extremis longe exquiſitiſſima deprehenditur.

Hanc in papillis, ex reliqua cute eminentibus, fieri, primus invenerat Malpighius, easque nervorum tantum eſſe propagines, reticularem membranam, cuti ſuperinductam, perforantes, opinabatur: noſtra vero ætate ſubtiliſſimam papillarum fabricam, lynceis oculis, tanquam ab ipſa Pallade adjutus, ad ultimos fere Naturæ terminos, proſecutus fuit magnus Albinus ac papillas non ex ſolis conſtare nervis, obſervavit, ſed prominentem eſſe cutis ſubſtantiam, vaſis & quod ſumma ſenſilitas monſtrat, nervis inſtructam: harum plurimas detexit, perexigua referentes tubercula; in vola vero, planta & digitorum extremis fila quaſi conſtipata & erecta; ſub unguibus, mutata parum indole, juxta ſe

ſe per longitudinem diſpoſita: in dicto autem reticulo, quod foraminibus pertuſum, vel ipſe Ruyſchius ſcripſerat, nulla reperiri foramina, demonſtravit, ſed impoſuiſſe, quæ ab inſertis fiunt papillis, foveolas vaginulasque. His inſuper laudatiſſimas, quæ ad coloris ſedem, quæ ad varias epidermidis craſſitiem, quæ ad ejusdem nexum, inciſuras, uſumque; quæ & ad proximam unguis naturam pertinent, obſervationes addidit, quibus elegantiſſima tactus organi fabricatio, antehac parum cognita, denſioribus evoluta fuit tenebris.

A tactu ſubtilitate differt Guſtus, cujus primarium inſtrumentum Lingua eſt. Hanc ex brutis deſcripſerat Malpighius, & in illa tres papillarum ſpecies invenerat: totidem poſthac in humana obſervaverat Ruyſchius: minutum vero, quod in ejusdem ſpeciei papillis obtinet, figuræ molisque diſcrimen, longe accuratius perluſtravit omni laude major Albinus quartumque detexit

ge-

genus papillarum, quæ rotunda æmulantes tubercula, in linguæ incifuris, ut & in reliquarum papillarum interftitiis occurrunt: has, omnium minimas, oculo armato, ex fimplici ftamine, arteriolam gerente, conftantes vidit: majores vero, ex congerie minimarum, variam in fpeciem fibi appofitarum, contextas reperit. Externum quoque linguæ involucrum folita perfcrutatus eft diligentia, invenitque, neque hic reticulum, quod linguales papillas perforet, adeffe, fed integrum & fimplex integumentum, vaginulis, variæ papillarum formæ refpondentibus, excavatum.

Millena inter, quibus circumdamur corpora, plurima tenuiffimas exhalationes emittunt, quæ per aëra difperfæ, naribusque admotæ, Olfactum excitant.

Hujus organum membranæ, cui a Schneidero nomen eft, narium interioribus undique obductæ, inhæret, atque in illa papillas, cutaneis utcunque fimiles, fed longe exiliores, nec nifi lentium ope confpicuas, detexit Albinus.

Vaſorum, membranam perreptantium, truncos minoresque ramulos ſedulo perſcrutatus eſt Hallerus.

Nerveas quinti paris propagines, ad hanc membranam accedentes, ſollicite perquiſivit Meckelius: glandularum vero, ſinuum, pituitam excipientium, oſſiumque ſpongioſorum hiſtoriam egregie illuſtravit Morgagnus.

Ut undoſos aëris, a contremiſcentibus corporibus excitatos, motus indeque oriundos ſonos animus percipiat, Auditum benigna Natura conceſſit.

Hujus inſtrumenta admodum tenera ſunt & compoſita, maximamque partem in oſſe recondita, ut mirum non ſit, minus accurate olim perſpectam fuiſſe organi auditus conformationem: plurima tamen debemus Euſtachio; nonnulla Fallopio; imo egregia elapſi ſub finem ævi præſtitit Verneyus & laudabilem hujus organi deſcriptionem adornavit.

Verneyi autem laborem noſtro ſeculo expolivit Val-

Valſalva ac præſertim tenues auris externæ muſculos & nervi, per auriculæ poſteriora decurrentis, originem, ac tubæ Euſtachianæ conformationem accuratius inveſtigavit.

Omnem auris hiſtoriam ubique plurimis obſervatis illuſtravit eximius Morgagnus, maxime, quæ ad tympani membranam, quæ ad veſtibulum & auditorii nervi decurſum atque diviſionem pertinent.

Elaboratam quoque hujus organi expoſitionem Cl. Caſſebohmio debemus, qui præ cæteris ſubtiliſſimos vaſorum, internam aurem perreptantium, rivos ſedulo proſecutus fuit & quod varia hominum ætate in aure occurrit, diſcrimen, laudabili induſtria indagavit.

Intricatam denique auris conſtructionem plurimum illuſtrant elegantiſſimæ, quas Albinus adornavit, tabulæ, quæ ſummo judicio concinnatæ, continua ſerie, utrimque ab exterioribus ad interiora pergendo, miram compoſiti organi conformationem, ſitumque partium naturalem optime monſtrant.

Ut corpora, vel longissime a nobis dissita, distinguere & examinare liceat, binis instructi sumus Oculis, pulchræ sane conformationis quæque tenui subtilitate omni ævo Anatomicorum industriam occupavit.

Quæ simplici sectione in conspectum prodeunt, oculi partes, optime delineaverat Eustachius; infartis idonea materie vasis, plurima eaque laudatissima inventa fecit Ruyschius; evolvendæ autem oculi fabricationi valide insudarunt principes nostræ ætatis Anatomici.

De iride, processibus ciliaribus & crystallina lente egregia observata collegit Morgagnus.

In determinanda corneæ, iridis lentisque figura & in instituenda utriusque cameræ, humorem aqueum excipientis, mensura indefessam operam posuit Petitus, primusque coronam ciliarem descripsit.

Variam iridis latitudinem, crystallinae fabricam, situmque oculi naturalem optime perscrutatus est Winslovus.

Arteriam retinæ centralem, per vitreum ad poste-

ſteriora cryſtallini demiſſam, detexit Albinus, duplicemque retinæ ſubſtantiam, a parte vitrei membranaceam, vaſculoſam; qua choroïdi contigua eſt, medullarem, ſolita ſubtilitate illuſtravit & muſculorum oculi hiſtoriam egregie adornavit.

Arterias, ad oculi interiora pertinentes, nervorumque ciliarium ganglium opthalmicum accurate perquiſivit Hallerus.

Integram oculi hiſtoriam ſumma cura fideque nuper enucleavit Zinnius omnesque oculi partes iterato labore & indefeſſo ſtudio inveſtigavit, ac inprimis nervorum & vaſorum oculi hiſtoriam perquam ſollicite indagavit.

Plures, quæ noſtra ætate in oculo detectæ fuere, enumerandæ reſtarent minutiæ, ni temporis anguſtiis præcluſus, iſtas ſilentio premere coactus forem, id unum addens, non ita diu in embryonis oculo obſervatam fuiſſe membranulam, quæ pupillam claudit eamque deſcriptam Albino & Wachendorfio.

Ex his ergo A. A. H. H. ſat liquido conſtat,

quan-

quantum ſubtiliſſimis hujus ævi inventis externorum ſenſuum doctrina inclaruerit.

Recenſenda ſuperſunt, quæ in organis Uropoiëticis; quæ in inſtrumentis, propagando generi in utroque ſexu dicatis, obſervata fuerunt: verum quæ in medium protuli, ſcopo ſatisfeciſſe videntur; pedem ſiſtere jubet aqua, quam effluxiſſe video; promiſſæ brevitati præſtanda fides eſt; contractis ergo velis, orationis puppim in exoptatum portum dirigo, ac die ſuadente ſolenni, grato impellente animo, ad Vos me converto, Ampliſſimi Academiæ Trajectinæ Curatores.

Perquam honorificum eſſe in hac Academia, per totum terrarum orbem inclyta, docendi munus, quod benigniſſima voluntate mihi injunxiſtis, palam agnoſco & profiteor, atque inter exoptatiſſima, quæ in vita contingere poſſunt, beneficia reputo, inprimis cum mihi juveni, necdum diu ex academico pulvere egreſſo, provinciam, Viris

ris

ris maturæ ætatis, probatæ diuturna exercitatione peritiæ ac ſolertiæ, convenientem demandaſtis. Verum & ſummo metu contremiſcit & perturbatur animus, cum me ſubſtitutum video in locum Clariſſimi Woertmanni, qui ſpartam hanc maxima cum laude exornavit & in quo utrum dexteritas in cadaverum ſectione, an eloquentia in explicandis claro terſoque ſermone inventis, num vero felicitas in eruendis morboborum cauſis, curandiſque ægrotis major ſit, dubitari merito posſet, quum in Viro Laudatiſſimo eximiæ hæ dotes clariſſime effulgent. Interim quamvis Trajectinis ſcholis innutrito eſſe non obtigerit, mihi tamen gratulor, ad Dexterrimum hunc Anatomicum, in eadem hac Muſarum ſede nobiſcum degentem, liberum aditum patere; quanquam enim Academiæ valedixit, eodem ardore ſcientias excolere pergit, ut quotiescunque non ſuperandæ difficultates occurrant, Virum Exercitatiſſimum conſulere decreverim;

F quod

quod quidem, fateor lubentissime, apud animum constituere ausus non fuissem, ni pro innata benevolentia & amore, quo incitatur ad Academiæ incrementa & studiosæ Juventutis commoda promovenda, auxilium promtissime obtulisset. Has spe fretus, demandatam provinciam confidentius suscipio, Vestrumque, Mœcenates Optimi! quod, ex luculento Præceptorum testimonio, de me meisque studiis tulistis, judicium, grato agnosco animo, curaturus, ne unquam memori mente excidat, simulque polliceor, me omnes intensurum esse nervos, ut reverentia, ut virtute, ut assidua diligentia & indefesso labore Vestram approbationem merear & existimationem.

Quod superest, Summum Rerum Arbitrum ardentissimis supplex veneror precibus, ut Vos, Vestrosque diu sospites servet & incolumes. Vestris auspiciis Batava floreat Respublica! inclyta floreat Trajectina Civitas! floreat alma hæc bo-

bonæ mentis Palæſtra!

Ad Vos accedo, Clariſſimi Profeſſores, conſummatæ eruditionis laude ſplendentia in coelo literario ſidera! Quam gratum ſit, juvenili etiamnum ætate, Vos ſuaviſſimo Collegarum ſalutaſſe titulo, modeſtus cum veneratione agnoſco. Utinam, Veſtro adſcriptum Ordini, veri, pacisque amantiſſimum, in Veſtram amicitiam excipere dignemini! hanc obſequio, obſervantia, candore, fideque colere & demereri omnibus adnitar viribus.

Vos præprimis compello, Celebratiſſimi Machaoniæ Artis Antiſtites! Tuamque flagito neceſſitudinem, Eruditiſſime Ooſterdyke, cujus nomen, longa annorum exercitatione ac feliciſſimis decumbentium curationibus, monumentis æternæ laudis inciſum, veneror; Tuamque, Clariſſime Hahni, peto benevolentiam.

Vos, quibuscum arctiori vinculo conjungor, oro & obtestor, ut me, tenuitatis conscium, Vestri sapienti consilio, prudentissimis monitis adjuvetis, ut juncta opera Medicinam promoveamus, decus & ornamentum Trajectinæ Academiæ tueamur. Vos laudatissima diligentia & virtute præeuntes, e longinquo, etiamsi impari passu, sequi conabor.

In Vobis nostra desinit oratio, Lectissimi Juvenes, Carissima inprimis, medenti Phœbo devota Capita!

Quantum ex penitiori Anatomes cognitione in addiscenda, in faciunda medicina, redundet commodi, non est, quod longa verborum ambage Vobis prædicem; Anatomes utilitas & jucunditas quin Vobis perspecta sit, nullus dubito: monstrat utramque insignis, quo per omne ævum exculta fuit, ardor; confirmant stupenda nostri seculi inventa, quibus Magni nostræ ætatis Anatomici æternam gloriam sibi compararunt; eadem & Vobis pa-

tet

tet via; campus restat immensus; plurima hucusque suis Natura obvelavit tenebris, non nisi improbo labore & indefessa industria evolvenda: huc unita manu coöperemur; me Vobis ducem sisto, commilitonem offero; quicquid in me sit, Vestris sacratur commodis; his promovendis, his stabiliendis noctes diesque invigilare animus est; & si quid Vobis ex nostris conatibus emolumenti accedat, omnium votorum summam attigero.

D I X I.

